MARIAE STUARTAE

Sereniſſimae ac Potentiſſimae Magnae

BRITANNIAE, GALLIAE, ET HIBERNIAE

REGINAE

AUCTORITATE

Illuſtrium ac Praepotentium Trajectinae dioeceſeos Ordinum juſta perſoluta

CURA

JOANNIS GEORGII GRAEVII

In baſilica majore.

D. V. Martii, quo Londini efferebatur.

A. cIɔ Iɔc xcv.







TRAJECTI AD RHENUM,

Apud FRANCISCUM HALMAM, Academiæ Typographi,

cIɔ Iɔc xcv.

ILLUSTRIBUS
ET
PRAEPOTENTIBUS
POPULI
TRAJECTINI
ORDINIBUS
ELECTIS
EQUESTRI ORDINI
CONSULIBUS
ET
SENATORIBUS
INCLYTAE URBIS
TRAJECTI BATAVORUM,
NEC NON
CETERIS HUJUS
DIOECESEOS
MAGISTRATIBUS

ORATIONEM,
QUA VESTRO JUSSU,
ET
AUCTORITATE
AUGUSTAE
MARIAE
MAGNAE BRITANNIAE,
GALLIARUM
ET
HIBERNIAE
REGINAE
MANIBUS
PARENTAVI
L. M. Q. D. D. D.
JOANNES GEORG. GRAEVIUS
AD NULLUM NON
OFFICII ET OBSEQUII GENUS
VOBIS DEVOTISSIMUS.

JO-

JOANN. GEORG. GRAEVII
ORATIO
In obitum Serenissimae ac Potentissimae
PRINCIPIS
MARIAE
Magnae Britanniae, Galliarum
& Hiberniae Reginae.

ILLUSTRES. ET. PRAEPOTENTES. POPULI. TRAJECTINI. ORDINES. ELECTI. EQUITES. MAGISTRATUS. NOBILISSIMI. ET. AMPLISSIMI. CONSULES. ET. SENATORES. ACADEMIAE. CURATORES. GRAVISSIMI. CURIAE. PROVINCIALIS. SENATORES. MAGNIFICE. RECTOR. CLARISSIMI. PROFESSORES. COLLEGAE. CONJUNCTISSIMI. VE-

NERANDI. VERBI. DIVINI. PRAECONES. DOCTORES. OMNIUM. DISCIPLINARUM. ERUDITISSIMI. VOSQUE. CETERI. OMNIS. LOCI. ET. ORDINIS. AUDITORES. GRATISSIMI. TU. DENIQUE. LECTISSIMA. JUVENTUTIS. CORONA. SPES. PATRIAE. NOSTER. AMOR.

Effertur hodie magnae Britanniae maxima Regina. Huc ne noſtrae res ſunt prolapſae, ut, quod unum noſtris deerat miſeriis, triſtiſſima haec tempora tanquam triſtitiae quidam cumulus exaſperaret acerba mors Auguſtae Mariae, quae infando & vix conſolabili dolore Britanniam afflixit, Belgicam exanimavit, conſternatione & angoribus orbem terrarum implevit. Coeperant jam fulgere candidiores ſoles, & omnium animi ad ſpem laetioris fortunae, rerumque

que faciliorum erigi, cum subito nec opinata procella, tanquam fulmen sereno coelo magno cum fragore & terrore missum, prosternit & percellit omnia, & ab optima spe cunctos traducit ad summum timorem & sollicitudinem. Heu quam repentina & volucris est rerum humanarum vicissitudo! Itaque videmus omnium non modo cultus, sed ora immutata esse tanti mali sensu & dolore, qui alte in imas medullas demissus nullis allocutionibus & solatiis leniri, nedum exhauriri posse videtur. Nam cum sanctissima Regina ipsa Britannia & Belgica quasi effertur. Patres Patriae videmus atratos pallere defixis humi oculis, qui lachrymis manant, tristique silentio tanti doloris, qui in praecordiis saevit, acerbitatem prae se ferre. Nec levior est luctus maximi significatio, quam dat passim omnis ordo, aetas, sexus gemitibus, suspiriis, planctu, flebilibusque querelis. Nec ineuntis aetatis inscitia, nec decrepitae obliviosus torpor, nec stupor agricolarum, nec mulierum domi sedentium

ſimplicitas expers aegritudinis eſt, qua premimur. Nec ſoli homines, ſed rureſtres caſae, urbium tecta, fora, curiae, tribunalia, lycea, horrida, muta, ſenio confecta ſqualent & dolere videntur, quod, collapſo hoc columine ſuo, non ipſa ſolo aequata conciderint. Ipſi hujus auguſti templi parietes, ipſae hae exedrae pullatae ac ſordidatae incredibilis aegrimoniae documenta oculis & animis ingerunt. Nullus denique locus eſt, in quo non fixum ſit aliquod monumentum publici & inſolabilis luctus. Cum Druſi Germanici, qui ſingulari virtute benevolentiaque in omne genus hominum, tam civium, quam exterorum Regum & populorum voluntates ſibi mire conciliaverat, mors Romae nunciaretur, inſania quadam doloris inflammati Romani lapidabant templa, ſubvertebant Deorum aras, lares in publicum abjiciebant, partus conjugum exponebant patres familias, ſtulte illi quidem & flagitioſe, qui ſuis diis, quibus iraſcebantur ob ereptum Germanicum, invidiam facere volebant, ejurato illorum cultu. Nos nobis noſtriſ-

ſtriſque noxis iraſcimur, quibus Deus infeſtus abſtulit nobis Optimam omnis memoriae Reginam alieniſſimo tempore, in ipſo aetatis flore: nec tamen minus impatienter dolemus, quam illi priſci Quirites, quamvis longe abſimus ab illorum impia pietate. Nam inſanabilis haec, quae nobis impoſita eſt, plaga, ita lacerat omnium mentes, ut infiniti doloris cruciatus vincat omnem conſolationem, & imbecillior ſit quaecunque medicina graviſſimo, in quo cubamus, morbo. Magnitudo lethalis vulneris ne admittit quidem medentium manus. Ut vero luctuoſa eſt bonis omnibus tantae Reginae mors, ſic vix ullis, ſi a Rege diſceſſerimus, luctuoſior & flebilior accidit, quam Illuſtriſſimis Trajectini populi Patribus. Hujus juſtiſſimi moeroris & incredibilis deſiderii quot extant ubique ſigna & argumenta. Ejus tamen vim & magnitudinem mea quoque voce teſtatam aliis, omnique poſteritati cognitam eſſe voluerunt.

Quam vellem neſcire litteras! Ve-

riore haec animo dico, quam ille Imperator subscripturus rei capitalis supplicium dixit. Quam vellem nescire litteras! Horret enim animus & refugit feralis hujus muneris ministerium, & propter gravitatem doloris, qui omnes partes mentis meae sic fregit & debilitavit, ut aegre se queant colligere, &, licet maxime vigeret animus, nulla molestia perculsus & afflictus, quia conscientia infantiae meae commoveor, & me maximis divinae Reginae laudibus & meritis praedicandis imparem agnosco. Duo tamen sunt, quae me non nihil confirmant, & quiddam quasi inspirant animulae, laus obsequii, quae semper mihi fuit antiquissima, & certissima persuasio, neminem, licet ab omnibus ingenii & doctrinae copiis sit paratissimus, & diserte ornateque dicendi gloria mortales omnes antecedat, posse non dicam dicendo, sed ne cogitando consequi Augustae Mariae laudes, quae una in omni genere laudis eminuit non solum supra sui sexus & sui seculi captum, sed supra omnis tem-

temporis laudatissimarum Heroinarum exempla, ut unica Regina, aut verius Reginarum Regina sit & merito suo praedicetur. Nulla vero laus major esse potest, quam non posse a quoquam satis digne laudari. Dicam igitur de MARIA STUARTA, quia dicendum est, non pro argumenti dignitate, cujus numeros implere nullus mortalium potest, sed pro meo captu & copia. Nec dubito, quin vos, quotquot adestis cujuscunque loci & ordinis Auditores, pro vestra in incomparabilem Reginam pietate, secundis auribus sitis excepturi quicquid dixero; licet nec respondeat Reginae meritis, nec expectationi vestrae. Dum ego illorum servio voluntati, a qua nostra nunquam debet discrepare, vos quoque vobis mea impensa voluntate parendi patiemini, spero, satisfacere, quamvis vires studium animi destituant.

Nolo, Auditores, in hoc vestibulo multus in illis esse, in quibus vulgo parentantium manibus eximiorum ho-

minum oratio ſolet exſultare. Nihil dicam de magna Britannia, fortunatiſſima quot quot ſol adſpicit inſularum, genitrice Imperatorum, alumna tot potentiſſimorum Regum, & rebus in omnibus orbis terrarum plagis praeclariſſime geſtis clariſſimorum, nutricula tot virorum fortiſſimorum, domicilio defaecatae religionis & omnium laudatarum artium, ſede libertatis, in qua Maria vitalem ſpiritum hauſit. Nihil de majeſtate auguſtiſſimae familiae Stuartiae, cujus lux latiſſime diffuſa in ſui admirationem omnes populos dudum convertit, a qua ſanguinem & genus ducit. Patriae admirentur & jactent felicitatem, quibus patria eſt ornamento, non qui patriam ornant. Diva Stuarta, quacunque in terra fuiſſet nata, digna fuiſſet judicata illo excelſo loco, in quem eam poſuit ſors naſcendi, manibus quaſi benignioris naturae ad regium decus conformata. In ipſis tenebris luce ſua nituiſſet, tanta virtutis indoles a teneris annis in Ea fuit. Illuſtris familiae decus majorum virtute partum apud

omnes

omnes populos ſuſpicitur. Eſt enim nobilitas generis blanda conciliatricula & quaſi ſui lena, nec tantum ſibi ipſa ſuffragatur ad immortalem gloriam, ſed & poſteris praelucet ad maximas dignitates & honores per longiſſima temporis ſpatia. Ut gemmae in auro ſplendidius nitent, ſic in nobilitate virtus magis fulget. Qui tamen nominibus inflantur, & majorum tument imaginibus, nulla virtute ſubnixi, indigni ſunt, qui illis decorentur. Excidunt nobilitate, qui ejus dignitatem ſuperbia, ſocordia vitiiſque aliis infuſcant. Illuſtriſſima familia Stuartia imaginum multitudine & claritate, victoriis, triumphis, meritis in Chriſtianum nomen maximis nulli Regiae familiae cedit, ut, ſi genus ſpectes, Maria ne majora quidem optare potuerit. Tanta tamen & tam incredibilis hujus Principis admirandarum virtutum fuit magnitudo, ut majores ſuos magis illuſtraverit, quam ab iis illuſtraretur, pluraque ornamenta contulerit ad Illorum gloriam amplificandam, quam Eis referret ac-

cepta. Quae in ſingulis Illuſtriſſimae proſapiae praecipua decora mirati ſunt homines, ea univerſa, quae quidem in hunc ſexum cadere poſſunt, in MARIAM omnibus animi, corporis & fortunae bonis cumulatiſſimam Deus bonorum omnium dator contulerat largiſſime. Sed cur in his moror quae cum majoribus ſuis Ei ſunt communia, cum tam multis ſuis & propriis affluat ornamentis. In his principem locum tenere pietatem in Deum, & religionis ſtudium nemo veſtrum dubitat.

Quod ſol eſt in coelo inter ſidera, hoc in virtutibus eſt pietas. Omnis lux eſt a ſole. A pietate & religione tanquam unico & liquidiſſimo fonte manant ceterae virtutes, quas illa ſinu & complexu ſuo continet. Quae prudentia, quae fortitudo, quae fides, quae moderatio, quae benignitas in ullo poterit inveniri, qui non compreſſerit animi motus turbulentos, cupiditatis impetus coercuerit, dignitati ſervierit & officio. At hoc eſt unius religionis opus. Auguſta Maria quo inflammata

fuerit

fuerit ſtudio religionis, quo mentis ardore incenſa fuerit in pietatis cultum, non auderem commemorare, niſi omnibus eſſent teſtata, qui non modo fuerunt in ejus comitatu, ſed & legatis Regum & exterarum gentium, qui verſati ſunt unquam in aula Reginae. Fidem vix invenient in primis apud illos, qui regiarum, & eorum qui in illis adoleverunt ingenium & mores non ignorant, aut qui perſuaſum habent, religionem, pietatem, pudorem eſſe nomina, quibus populo imponatur, aut ſaltem privatorum bona. Qui inter homines pietate cenſeri volunt, ſi quotidie matutinis & veſpertinis precibus Deum placarunt, particulam aliquam ex divinis ſacrarum litterarum monumentis delibarunt, rei divinae, quoties ei operantur publice praecones & interpretes coeleſtium oraculorum, interſunt, praeclare functi officio eſſe putantur, & merito ſane in tanto ſacrorum neglectu & contemtu horum laudatur pietas. Non his anguſtis finibus religio Mariae circumſcribebatur.

Mane ſimul ac corpus nocturna quiete refectum levarat lecto, binas horas in precationibus & lectione contemplationeque rerum coeleſtium ſola in thalamo regio conſumebat: ſi ardua negotia maturius eam avocarent ad tractandum regnum, malebat de ſomno debitis horis aliquid decerpi, quam momentum perire temporis, quod Deo conſecrarat. Hora nona in aulicum ſe recipiebat ſacrarium, ibique cum cohorte regia, & quicunque Reginae pietate commoti eo concurrebant, Deo caſtiſſime ſupplicabat. Haec veſperi iterabat hora quinta ſingulis, quot quot eunt, diebus. Nullis luſionibus, nullis licitarum voluptatum blandimentis, nullis Principum legatorumque regiorum ſalutationibus unquam ab hac ſtata ſacrorum functione ſe patiebatur avocari. Hanc legem ſibi ipſa dixerat iſta ſollemni caeremonia quotidie Deum placandi. Ab hac ſanctiſſimae vitae ſecta non poterat avelli. O ſingulare ac inuſitatum in tanto fortunae faſtigio, in iſta aetatis integritate & aeſtu, in iſta delicia-

rum & voluptatum abundantia, in qua rarae, quod ille ait, arae fumant, religionis ſtudium! quod, ſat ſcio, miramini omnes. Audite quaeſo, audictis, quae majore Reginam afficient admiratione. Guilielmus Arauſionenſis Princeps, cum una eademque clariſſima Britanniae voce ſollicitaretur & vocaretur ad vindicanda ſacra, quae polluebantur, ad aſſerendas leges, quae demergebantur, ad Britanniae, &, quae per ejus latus petebatur, Europae ſtragem, vaſtitatem, ſervitutem, quae omnium cervicibus impendebat, deprecandam, inſtinctu quodam Numinis, ſecunda omnium Regum & Principum voluntate, ſi eos exceperis, qui haec mala miſcebant & machinabantur, Britannicam ſuſceperat expeditionem. Interea piiſſima MARIA non tres quatuorve horas, ut alias ſolebat, ſed totos dies in precibus, in obſecrationibus, in celebratione ſacrorum, tam domeſticorum, quam publicorum verſabatur. Cum iis perfuncta eſſet in eccleſia Britannica, Gallicam adibat,

exinde frequentabat Belgicam, in quibus omnibus diversis horis quotidie tum vota nuncupabantur pro salute Maximi Principis, & pro felici successu hujus profectionis institutae pro Christiani nominis conservatione., proque illius dignitate tuenda. Hinc non mirum tam faciles aures praebuisse Superos quorum agebatur caussa, tam supplici sanctissimae MARIAE, & tot bonorum precationibus. Verum redeo ad MARIAE quotidianas pietatis meditationes. Tempus diei reliquum, quod regni procuratio absente Rege sibi non vindicabat, non conterebat in sermonibus de vanissimis rebus, in fabulis audiendis de amoribus Principum & illustrium foeminarum, non in lectione Milesiarum nugarum. Evolvebat aut ipsa, aut recitari sibi jubebat ab aliis vel divina monumenta, vel alios libros, qui arcana doctrinae Christianae capita dilucidabant, aut salutaribus praeceptionibus vitam ad honestatem & officium incitabant. Sacri sane codicis, quem vates aliique coelestes Viri Numinis

minis

minis afflatu litteris consignarunt, lectione tantopere capiebatur, ut e manibus nunquam deponeret, sed quotannis bis eum pervolveret a capite ad calcem, semel ipsa in suo cubiculo, iterum in sacello aulico, ubi in quotidianis sacris, de quibus dixi, tantum indies recitabatur a sacrorum antistite, quantum ad absolvendam annua die totius codicis lectionem requirebatur. Estne inter nos, Auditores, de iis non loquor, qui rei divinae curationi praesunt, est ne, cui in manibus sint tam assidue oracula divina? Est ne, qui tanto studio, tanta illa verset diligentia, sed & tanto cum profectu. Omnem disciplinam Christianae religionis ita pervestigaverat Regina, ita imbiberat, ita memoria sepserat, ut plurimos viros, qui omne vitae tempus in hac coelesti doctrina perscrutanda posuerant, anteiret, ut omnium, qui verum nitebantur omni studio & summis viribus labefactare, impetus sollertissime retunderet, & nullis blanditiis, nullis minis, nullis periculis a vera do-

ctrinae tuenda posset deterreri.

Video non paucos, qui quae hactenus dixi aequis acceperunt auribus, adducere frontem, & tacitos mirari, mihi frontem periisse, qui Reginae non grandi natu ea tribuerim, quae pauci potuerunt consequi, qui in divinarnm disciplinarum studio consenuerunt, ut me aut foedae insimulent adulationis, aut illius levitatis, qua non nulli oratores immodico illorum, quae instituerunt laudare, studio ablati, nimis quicquid laudant verbis exaggerant, & in majus, quam vere sunt, extollunt.

Vereor ne in me criminentur, quod seculo superiore criminabatur in Gualtero Haddono, Magistro libellorum supplicum apud magnam Elisabetham, alterum Reginarum Britannicarum decus immortale, Hieronymus Osorius, Sylvensis apud Lusitanos Episcopus, homo suae memoriae disertissimus. Rescripserat Haddonus epistolae Osorii ad Elisabetham datae, qua novatores, ut ille vocabat, asperrime fuerat insectatus. Haddonus in responsione praedi-

caverat Reginae rerum divinarum prudentiam, monebatque Oſorium caveret, ne in ipſum Eliſabetha ſtringeret lucubrationis telum. Indigniſſime id ferebat Oſorius in libris criminoſiſſimis, quos repoſuerat Haddonianae defenſioni, & Haddono inurebat impudentis adulationis notam. Facile ſe pati aiebat Oſorius, in Regina laudari elegantiam ingenii & doctrinae, humanitatem, Graecae & Latinae linguae peritiam, philoſophiae cognitionem, ſed Theologicae ſcientiae laudem tribui foeminae, id vero ferri, id credi non poſſe clamabat. Aetate tamen Eliſabetha tum ſuperabat Mariam. Verum facile ego, Aud. ſuſpicionem adulationis dimovebo, ſi quod adhuc feciſtis, attenderitis diligenter. Quid praeſtare potuerit Eliſabetha nunc non diſputo, quid praeſtiterit Maria narrabo Vobis ſine fuco, nulla lecytho adhibita, rem dignam, quam omnes gentes audiant. Inde ipſi exiſtimate, aſſentatoriene locutus ſim, aut, ut alii mollius dicunt, oratorie, an ſimpliciter, vere, fideliter.

Pater Mariae Rex Jacobus, cum accessisset ad rempublicam, omnes curas, cogitationes, omnem denique mentem in hoc figebat, ut multa, quae Majores Ejus & Ordines regni fecerant decreta de tuenda infucata religione refigerentur, inprimis ut lex antiquaretur, quae lata erat de jure jurando, quo cives obstringebantur in nomen & verba Regis, tam in iis quae ad regni gubernationem, quam in iis, quae ad sacra constituenda pertinent, ejurata omni potestate & facultate, quam aut Pontifex Romanus, aut ullus mortalium sibi vindicarit, aut vindicare vellet de sacris aliquid sanciendi & statuendi. Maria palam prae se ferebat sibi hanc rationem non probari, nec posse ab animo suo impetrare, ut iis assentiat, qui urgerent, hujus sacramenti religione Britannos esse solvendos, nec in posterum quenquam illo esse adigendum. Rex hujus rei certior factus, mandabat legato, qui Hagae Comitis erat, ut Mariae ostenderet, eique persuaderet male illam sentire de hoc parentis

rentis sui consilio falsis inductam rationibus. Legatus non impigre captata prima quoque Mariam compellandi occasione, mollibusque fandi temporibus, longo sermone Reginam de hoc negotio habito detinet, allatis nec paucis, nec vulgaribus argumentis ex sacris litteris, multis testimoniis, petitis ex priscis ecclesiae sanctissimis doctoribus, non una ratione promta ex notitiis rerum, quas natura nostris insevit mentibus. Cum audivisset attente quae afferebantur Regina, non Laconice respondit. Disputationem & rationes legati tam promte, tam acriter ex templo convulsit, omniaque illius argumenta tanta sollertia refellit, ut cum a Regina dimissus esset legatus, non posset teneri, quin in atrio aulae in coetu multorum magni nominis & dignitatis virorum, qui tum praesto erant, testaretur, & confiteretur; se nunquam in animum inducere potuisse ut crederet, esse in orbe terrarum foeminam, quae tanta doctrinae Christianae, ac sententiarum sibi in hujus do-

doctrinae capitibus probatarum intelligentia ſit praedita; quaeque tanta vi & pondere rationum quae ſentiret poſſet ſepire, ac tam valido praeſidio munire contra quoſcunque ſive hoſtium, ſive inſidiatorum inſultus. Addebat ſibi eſſe perſuaſiſſimum, Principem hanc a nullo homine ab iſtis, quibus de religione imbuta erat, opinionibus deduci poſſe: nec ſe ulli auctorem eſſe velle, ut hoc nomine denuo Illam compellaret quiſquam, niſi velit operam ludere. In hanc ſententiam legatus quoque Regi Jacobo ſcripſit.

In illa collocutione cum Britannico legato Sapientiſſima Princeps ſubtexebat, ſe non mirari ſatis poſſe, nec cogitatione quidem aſſequi, qui homo rationis & conſilii non expers, qui rectum de Deo rebuſque divinis ſenſum, veriſſimumque ejus colendi modum mente ſit complexus, poſſit a noſtris tranſire in Romanenſium caſtra. Legatus, cum regeſſiſſet, vivum exemplum eſſe Illius parentem Regem Britanniae, reſpondit & ſibi id dolori eſſe,

&

& mirari dudum unice, quo duce, quo auctore, qua occasione, quibus rationibus potuerit perpelli ad purissimae veritatis arcem prodendam, ac quibus, illa relicta, praesidiis queat ejus niti securitas & tranquillitas animi. Haec sapientissima Maria.

Non longe post, cum dubium non esset haec omnia Regem Jacobum ex legati litteris rescivisse, grandem & ponderosam epistolam mittit Pater ad filiam, qua enarravit copiose occasionem, rationemque & viam, quam secutus sit in repudiandis nostris sacris, & complectendis Romanensium scitis & dogmatibus. Haec Jacobi epistola Mariae tradebatur ad vesperam diei Jovis, cum sequente die nunciis, qui illam attulerant, remigrandum esset in Britanniam. Quam cum summa cum attentione semel iterumque legisset, & considerasset omnia studiose, quae illa complectebatur, illico se responsioni accinxit, cui adornandae totam fere noctem impendit. Semel iterumque monita a nobilibus puellis, qui Ei erant

a cubiculo, tempus pridem fuisse cubitum eundi, rationem haberet valetudinis, quam insomnia vexaret, respondebat Regina sapientissima, somno praeferendum esse officium respondendi Regis litteris, ne cras angustiis temporis excluderetur ad id munus persolvendum debitum Parenti. Se id accelerare, ne, si cras sine litteris elaberetur nuncius, suspicionem praeberet alieno ingenio ac Theologi cujusdam opera se usam esse in illis scribendis, quod si fieret, & Pater crederet alterius ingenii partum esse, carituras illas esse & pondere & fructu, quem sibi Superis bene volentibus de hac scriptione polliceretur. Argumentum erat praecipuum epistolae, quam Rex exararat, antiquitas & longa & immota stabilitas ecclesiae Romanae, fundata firmataque Christi Servatoris promissis: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo ecclesiam, quam portae inferorum non convellent. His subnectebantur alia loca, argumenta & testimonia ad istam opinionem muniendam congesta. quae om-

omnia in tantillo temporis ſpatio tam graviter, tam limato intelligenteque judicio refellit ſollertiſſima Princeps, ut Theologus ſummus, ac pauci quidam alii Viri dignitate & integritate conſpicui, quibus exemplum hujus epiſtolae poſtea videre datum fuit, in admirationem rapti aſſeverarint, nunquam ſe quiviſſe ſibi perſuadere, talem epiſtolam, tam gravibus & efficacibus argumentis refertam potuiſſe ab ullo viro, nedum foemina ſcribi, niſi ab eo, qui totam vitam ſacrarum litterarum ſtudio devoverit. O ingenii divini celeritatem & perſpicacitatem! o vim acerrimi judicii! Nullae inſidiarum latebrae ſunt tam occultae, quas Auguſta non deprehenderit, nullae tam fallaces & ſpecioſae argutiae, quae illam fefellerint, nulli nodi, quam duri viſi ſint prima fronte, quos non expedierit. Ite nunc, jactate adulationem, qui aut malevolentia ſuffuſi, aut ignorantia obcaecati ad veſtram tenuitatem Maximae Reginae maximas copias exigitis. Tantum abeſt ab omni adulationis opinione

haec oratio, ut omnibus jam liqueat, nullum verborum honorem tantum esse, qui non longe sit intra tantae Reginae merita. Vitae vero Augustae Mariae tanta fuit sanctimonia, ut Rex Guilielmus, cum fatis concessisset, Ejus pietatis in Deum, vitae integritatis, ac tam magnae rerum sacrarum cognitionis recordans, eruperit in hanc vocem, se, si credere posset, hominem natum esse posse sine labe peccati, de Regina id se crediturum esse. Tam integram castamque se servavit, ut in terris cum moraretur, viveret vitam coelitum, & quidem in strepitu aulae, ubi tot sunt irritamenta malorum, quae a pietatis studio avocant, tot illecebrae voluptatum, quae animos ad se rapiunt.

Ut vero divina Maria singularis pietatis & religionis amore flagravit, sic non potuit non alto & excelso animo esse. Nam qui se cultui castissimae religionis addixit, cum exploratum habeat se divino praesidio quasi obvallatum non deseri, non concidet animo,
quam-

quamvis bellorum turbinibus omnia miſceantur, terra tremore, coelum fragore concutiatur, omniaque praeſentem intentent peſtem & mortem.

Quanta fuerit exaggeratio altiſſimae mentis Mariae, quanta deſpicientia rerum humanarum, quanta conſtantia in aſperrima fortunae tempeſtate, utinam poſſem, ut magna ſunt, ita oratione magnifica explicare! infinita copia eſt rariſſimorum & inuſitatorum exemplorum, ſed nec exilis ingenii ieiunitas, nec tempus peranguſtum permittit mihi in haec latiſſime patentia ſpatia excurrere. Paucis erimus contenti.

Quae fuerit animorum formido, qui terror, quae trepidatio, cum Guilielmus Arauſionenſis Princeps non tam Britanniae, quamvis & illa ſupplices manus tenderet, quam Dei vocatu, alieniſſimo tempore, clauſo & infeſto mari, ventis adverſis & inſano tumultu ſaevientibus, tantillis copiis contra tantas opes ſequeretur Britanniam, meminiſtis, credo, plerique omnes. Non poteſt enim tanta res ex ullius effluxiſſe

animo. Facilius sui quis possit oblivisci, quam formidosissimi temporis. Sola Maria impavida divinorum decretorum eventum expectabat, sola non egebat consolatione, sola trepidantes hortabatur & confirmabat, ut in viris muliebrem pavorem, in Maria virile robur & constantiam cerneres. Praelcara haec sunt, & omnium seculorum ac hominum praeconiis celebranda. Ludus tamen & jocus, ut ita dicam, sunt, prae iis, quae jam audietis. Ingens malorum moles eodem tempore Britanniam & Belgium omni impetu irruebat. Omnia in earum pestem & exitium conspirasse videbantur, coelum, mare, terra. Grave vulnus acceperat foederatorum exercitus in congressione praelii Fleuriacensis. In ore ac oculis Britanniae offensum erat in classe navibus aliquot nostratium incensis & depressis; cum aliae retinerentur adversis ventis, ne possent laborantibus succurrere. Ex Hibernia nunciabatur, quamvis nostri vicissent ad Bovindam perduelles, Regem esse in ardore praelii vulnera-
tum,

tum ictu tormenti. Rumor late manabat, Eum occubuiſſe, ut feſti dies auctoritate publica nocte intempeſta Lutetiae indicerentur, ut omnia fora, porticus, vici facibus & ignibus laetitiae dicam an ſtultitiae nulla ſeculorum longinquitate obſcurandae indicibus collucerent, perinde ac ſi Rege Britanniae extincto debellatum eſſet. Haec omnia eodem fere tempore tumultuoſius nuntiabantur, fama, ut fit, ſingula in majus extollente. Accedebat opinio hoſtilem Gallorum claſſem appropinquare ad magnum armatorum numerum exponendum in Britanniae littoribus, qui ſint penetraturi in vitalia regni nudati propemodum omni praeſidio militari, cum qui in armis eſſent, aut in Hibernia, aut in Belgio mererent. Vix credi poteſt, qui fuerit terror, tremor, pavor, quae conſternatio procerum, populi, plebis. Regina nullum timoris, nullum ſolliciti animi, nullum triſtitiae argumentum fronte, ore, verbis prae ſe ferebat, praeſertim cum accepiſſet, Regis utrique hume-

mero vulnus quidem esse inflictum, sed non lethale, & sine debilitatis periculo. Vehebatur curru Maria per omnes urbis Londinensis vicos tam sereno vultu, ut in illo tranquillitas animi & securitas pelluceret. Populus videns Reginam omni perturbatione carere resipiscebat, & ab illa vehementissima consternatione ad se redibat. Nec populus tantum recreabatur, & vultum ac animum reficiebat, sed etiam primates, Regis & Reginae amici omnium arcanorum participes. Nam cum eundem pacatum & angoribus vacuum animum ostendisset Regina in consilio, ubi de summa re deliberabatur, cum illa secessisset, Vir primi ordinis & loci testatus est, se, visa & audita Regina, meliore, quam ante fuisset, animo esse. Sibi modo tot malarum rerum confertim undique ingruentium nuncios horrorem incussisse ac ingentem sollicitudinem majorum calamitatum, quae impenderent, quaeque mox illas essent excepturae, verum se nunc relaxari, cum nec in Reginae vultu, nec in sermo-
ne

ne ullum perturbationis & ſollicitudinis veſtigium ſit, ſed quae eadem conſtantia, qua ſemper antea ſit uſa, in rem ſapienter conſulat, eodem conſilio & judicio praecaveat, ne quid domi labet, neve quid detrimenti capiat reſp. foris vero provideat, qua ratione offenſiones expiandae & jactura penſanda, hoſtiumque conſilia diſcutienda ſint. Haec cum cernat, nec poſſe ſe ſatis mirari incredibilem Reginae fortitudinem, nec credere tantum damni factum, ac tam malo loco res eſſe, quam vulgo exiſtimentur. Quae Vir Illuſtris admirabatur, omnes gentes, omnis poſteritas admirabitur. Tantum in foemina fuiſſe firmitatis, ut nullis iniquiſſimae fortunae minis potuerit de gradu dejici, quae animum & conſilium viris excutiebant! Octavianus Auguſtus audita clade Variana ſtulte promittebat capillum & barbam, quaſi ſubmiſſam barbam metuerent Germani, ut vulgo homines prolixam caudam capillati ſideris, muliebriter ejulabat, deteſtabili inſania caput illidebat parieti,

furenter clamabat: Quintili Vare redde legiones, perinde ac si his clamoribus aut hostes terreri, aut manes caesorum possent ab inferis revocari in lucem. Et hanc quidem ille Augustus desperationem ac foeminei animi imbecillitatem prodebat, non secus ac Hannibal esset ad portas, aut proximus arderet Ucalagon, cum tres legiones in ultimis imperii Romani finibus apud extremos Germanos essent deletae. Quid nostra fortissima & sapientissima Regina, cum in vicina Belgica fusus esset exercitus, cum in conspectu & jugulo quasi Britanniae volitaret hostilis classis ornatissima, cum omnium oculis obversarentur rapinae, incendia, caedes, vastitates, si hostes, quod multi verebantur, improbi cives jactabant, perduelles optabant, in Britanniae littora impetum convertissent, absente Rege, peregrinantibus Britanniae armis aut hic in nostris terris, aut in Hibernia? Non haec omnia movebant Mariam, non cedebat furenti fortunae, non animum ei submittebat, sed ibat

au-

audentius contra virtute nulla humana voce ſatis praedicanda, & tanta ſublimitate animi, qua non modo vicit omnium hominum opinionem, ſed ſe ipſa ſuperavit. Tantum ſane gloriae & dignitatis eſt conſecuta, quantum vix ſummae virtutis Principi in hac vita optare fas eſt. Non minus enituit excelſi animi praeſtantia Reginae in moderate ſecundis, quam fortiter adverſis rebus ferendis. Nunquam tanta potentia impotenter abuſa eſt, nunquam in excelſiſſimo culmine illo rerum humanarum inſolens ullum verbum nedum factum extitit. Sic enim decreverat, non in inſignibus regiis, in orbe, in ſceptro, in diademate, ſed in virtutis decore, in lenitate, benigne faciendi omnibus facultate verti majeſtatem Regiam, eamque volebat ſpectari morum ſanctitate ac ſuavitate, animi celſitate, non tumore, ſuperbo contemtu & intolerabili faſtidio ſuorum civium, aliorumque omnium hominum, quod ſibi arrogant Cecropidae, & tenuioris loci homines, quos paullo

laetiore vultu adſpexit fortuna. Excellebat Regina imperii majeſtate non magis quam modeſtia, cujus quam multa edidit ſpecimina : ſed hoc ſingulare & admirabile. Vocabatur a populo Britannico cum marito Guilielmo in conſortium regni, ut ſicut tori, ſic & ſceptri eſſet ſocia, & ut paribus auſpiciis imperium adminiſtrarent. Hanc poteſtatem nunquam exercuit, niſi cum Rex ad aſſerendum orbem terrarum aut ad Moſam, aut Scaldim, aut Bovindam foris fulminaret armis, & peregre proficiſcens ejus dextrae regni habenas committeret, quas tanta ſapientia, diis hominibuſque applaudentibus, temporibus difficillimis regebat, ut civium nemo Regem abeſſe ſentiret. Corpus Regis deſiderabatur, virtutem & prudentiam nemo requirebat. In conſilio regio cum de rebus graviſſimis & valde impeditis tractaretur, nunquam ſapientiſſima Regina haeſitabat, titubabat nunquam, tanta erat ejus ſollertia, tanta veri perſpicientia, tanta conſilii magnitudo, ut acutiſſime videret, quid

effet opus factu, & celerrime reperiret rationem explicandi facienda. Nam & futura profpiciebat fapientiffime, ut canere, non cenfere crederetur, & de inftantibus judicabat veriffime; ut divinitus ex Oraculi refponfo haufiffe videretur quamcunque dixiffet fententiam: ut jure Rex, cum fapientiffimam Mariam amififfet, quereretur, ex confilio fuo fe omnium confiliariorum optimum amififfe. Dictum magni Guilielmi audiviftis veriffimum, qui ipfe ut virtute bellica, fic fapientia pacis nulli Regum, qui funt, aut fuerunt, eft fecundus. Nunquam is peregre tantas res potuiffet gerere, nifi domi habuiffet, cujus fide & confilio niteretur. Nunquam enim certius naufragium reipublicae imminet, quam ubi ad gubernacula fedet, qui ipfe regendus duce & moderatore eget. Tantum abeft, ut ab alieno penderet confilio Regina, ut in ipfius fententiam faepiffime, qui Ei erant a confilio, defcenderent, quamvis ante diverfa cenfuiffent: faepe variis fententiis fluctuan-

tes graviter confirmavit. Vigilantiam vero Reginae quid vobis memorem? Dies noctesque tanquam in specula posita pro Britanniae & foederatae Belgicae salute & dignitate excubabat. Nunquam oculos de illarum custodia dejiciebat. Nihil magis Ei erat cordi, quam salus publica, libertas, populorum otium, Ordinum concordia, reip. universae quies & tranquillitas. Aequalitate concordi moderari parentes omnium curarum Ei fuit antiquissima. Quod cum praestaret mirifice, vicissim populi in Reginae corpore mortali venerabantur praesentem Deum immortalem, cujus in terris imaginem summae gerunt potestates, quae fide & sapientia implent omnia munera justi & legitimi imperii. Hinc facile improbissimorum hominum, qui captata Regis absentia pestem & exitium Ejus capiti, & regni ruinam & interitum machinabantur, effraenatum impetum non tam armis, quam suorum amore, quo munita erat, refutabat. Magna haec sunt, & omnis posteritatis ore cele-

le-

lebranda, ſed tamen illis, qui ab Eliſabetha non minore prudentiae ac moderationis commendatione imperium Britannicum gubernatum eſſe contendunt, non repugnabo. Sed hoc mirum & inuſitatum, Reginam, cum ad puppim ſediſſet abſente Rege, bonis omnibus civibus tam juſtum & clemens imperium fauſtis ominibus proſequentibus, exteris obſtupeſcentibus a muliebri manu tam ſcienter clavum imperii gubernari, ſimul ac Rex pedem intuliſſet in regnum, nullam partem curamve attigiſſe, perinde ac ſi Regi non nupſiſſet, nec ad ſe, quamvis conſors eſſet imperii, nihil regni adminiſtratio pertineret. Evolvite, Aud. omnium temporum, omnium gentium annales, repetite memoria vobiſcum, num quid quod cum hac moderatione Reginae poſſit conferri unquam legeritis aut audiveritis. Multae fuerunt Reginae, multae Principes foeminae, quae viriles curas induerunt, quae aut maritos habuerunt obnoxios, aut illorum voluntate participes regiorum mu-

nerum fuerunt. Nullam invenietis, quae in ſocietatem regni legitimis populi ſuffragiis vocata, regiam functionem obierit aliquando, quae non magnam curarum partem ſibi vindicarit, & non crediderit ſibi injuriam fieri, ſi non ſecum communicarentur conſilia de regni adminiſtratione, nec de omnibus, quae gerebantur, adhiberetur, aut, ſi pari eſſet poteſtate cum marito, non & par jus ſibi aſſereret. Imperandi conſuetudine qui eſt ineſcatus, aegre poteſt privatum agere. Facilius Herculi clavam extorſeris, quam his dominandi libidinem, nationi praecipue muliebri, quae procax eſt, impotens, avida potentiae, imperandi cupida, omnia divina & humana miſcere docta, ut quod cupit conſequatur. Ulyſſes ille ſtolatus ne potentia exueretur, quam tot annos exercuerat auctoritate viri munita, totam domum Auguſti inſidiis, fraudibus & ſceleribus extinxit, non tam novercalibus odiis, quamvis & ea eſſent acerrima, quam libidine imperandi accenſa, ut filium ſuum ad principa-

cipa-

cipatum proveheret, ſub ejus nomine & umbra dominatura, ſic rebatur, ut antehac ſub indulgentia mariti. Alia infinita muliebris impotentiae & cupidinis regnandi exempla recenſere nec tempus fert nec locus iſte. Et cui ignota ſunt, cum omnis aetas tália tulerit monſtra plurima? Tanto admirabilior eſt moderatio divinae Mariae, quae cum ſuo jure regnare poſſet, ſed regnare nollet, niſi cum Guilielmus abſens domo hanc Ei poteſtatem feciſſet, quaeque non modo ſine querela, ſed laeta, ſed ultro, abjiceret procurationem reip. tanquam durum & grave onus, quod ſuſtinuiſſet invita, quoties Rex redux cuncta regendi curam in ſe recepiſſet. Huic tantae moderationi quae par poterit reperiri in omni ſeculorum memoria? Imperare ſibi ipſam poſſe longe maximum & pulcherrimum regnum exiſtimabat Regina. Illae lacrymae non fictae, quas ubertim fundebat, cum ab omnibus populi Britannici Ordinibus diadema Illi & Guilielmo decretum eſſe intellexiſſet,

quid aliud testabantur, quam animum Mariae ab omni regni cupiditate alienissimum esse? Recordamini, credo, quam invita, & quam dolenter se passa fuerit a nostrae reipublicae sinu avelli. Sed non licebat Illi obniti abstruso aeternae destinationis consilio. Eundum erat, quo vocabant fata, non ut de arce deturbaret patrem, quod petulantissimi tenebrionis procacissimum os nuper in piissimam Reginam ausum est evomere: pater enim se ipse deturbarat eversione legum, sacrorum, & institutorum patriorum, antequam quisquam exterorum in Britanniam, ut ei esset subsidio, venisset: sed ut patriae destitutae, quiritanti, & fidem Numinis, fidem Guilielmi & Mariae imploranti, succurreret. Hoc enim unicum erat conclamati regni Britannici remedium, nec alium habebat, ad quem in illa desperatione decurreret. Hinc advenienti Mariae tota Britannia dextram quasi porrexit, & summa conservatricem suam excepit laetitia. Inde nova & benigna lux in tanta caligine

&

& tam coeca nocte Britanniae affulsit, ut dies, quo inaugurata est cum Guilielmo Maria, alter Britanniae renascentis natalis fuerit habitus, qui senium & squalorem florentissimo antea regno deterserit. Admirabilis autem hujus modestiae, quam in omni vita tam raris argumentis orbi terrarum probavit, fons & scaturigo est illa, de qua audivistis, religionis cultura & pietas. Unde profluxit etiam illa intemerata conjugalis foederis fides, sine labe castitas, benevolentia in omne genus hominum, munificentia & liberalitas in miseros. Si quae unquam mulier, quae & natalium splendore & formae praestantia excelluit, mariti pudorisque fuit amantissima, ea sane fuit Diva Stuarta. Obsequentiorem marito quis unquam in privato lare vidit foeminam? Praetereo hic, quo dolore recesserit a Guilielmi latere, cum Ei paludato excedendum esset ex Britannia ad res depositas Europae restituendas. Praetermitto, quo gaudio & desiderio confectis Hibernis redeuntem Regem exceperit. Vul-

garia haec sunt matronarum munera, sed quod nunc commemorabo, singulare & illustrissimum mirifici cujusdam amoris est pignus. Cum Rex Jacobus maturata fuga regnum deseruisset, vacuo & quasi caduco regio solio, in consessu Ordinum deliberabatur, qui sufficiendus esset in Jacobi locum: num Principi Arausionensi, & Mariae Ejus uxori insignia regni sint deferenda, ut aequata potestate rei summae praeessent, an soli Mariae, filiae Jacobi natu maximae, & per Eam Guilielmo Ejus marito. Multi ex Ordinibus ultimae subscribebant sententiae, hac tamen lege, ut Maria Regina crearetur, Principi autem Guilielmo Ordinum auctoritate committeretur tanquam Mariae consorti, regni administratio. Orator Principis cujusdam, qui tum agebat in Britannia, cum incerto rumore haec intellexisset, praeceps & credulus nimis, tanquam hoc inter Ordines jam convenisset, nuncio celerrime conducto, & jusso properare quantum posset citato itinere, ad hanc rem Principi,

pi, a quo missus erat, perferendum, sequente die Mariam Jacobi Regis maximam filiam publice Ordinum auctoritate declarandam esse per praecones Reginam Britanniae. Qui cito judicant ad poenitendum properare verissimum est monitum. Nuncio transeunda erat Haga, & haec nova praetereundo communicanda legati nomine cum Viro summae auctoritatis, summaeque apud Guilielmum & Mariam dignationis. Is qualis erat ad hunc nuncium in aulam confestim properat, Mariam hujus decreti Patrum certiorem facit, Eique de regia dignitate gratulatur. Illa pro ingenio suo benigne quidem, sed minus familiari vultu, & adductiore fronte, se nec sperare, ait, vera esse quae nuntiaret, nec Guilielmum hac conditione regnum tanquam muliebris beneficii munus accepturum. Poteratne, Vos ipsos interrogo Aud. Princeps optima tenerrimi sui amoris magnitudinem declarare illustriore argumento? Malebat se, malebat maritum regno carere, quam pati, ut regnum sui muneris faceret, & mulie-

bri gratia id consequeretur Guilielmus, quod suae virtutis suffragatione, susceptis pro ejus salute tantis laboribus & periculis, promeritus esset. Hinc cum nonnulli Proceres primi Ordinis, qui Mariae caussa valde volebant, obstinate summa contentione ursissent, ne aliis legibus regnum Guilielmo decerneretur, quam his, de quibus dixi, summaque asseveratione dixissent, omnes in hoc gratiam a Maria inituros. Hoc Illa tam irate tulit, ut Regina paullo post creata palam questa sit de istorum perversa ratione, nolueritque diu admittere, qui sic censuerant, ad regiam manum adorandam. nec admisit, nisi post satis longi temporis intercapedinem ab ipso Rege expugnata. Quid fieri aut fingi potest amantius? Quo clariore indicio poterat ostendere sibi marito nihil carius esse: nihilque tam optabile in rebus humanis; non ipsum sceptrum & diadema, propter quod multae pudorem, religionem, Dei hominumque verecundiam exuunt, sibi tanti esse, si ullius frigusculi praebere posset occasionem,

nem,

nem, aut a Guilielmi caussa & rationibus, quas suis semper anteposuit, esset sejunctum. O conjugalem fidem singularem! o admirabilem amorem Reginae, qui nunquam satis potest laudari! Infinita sunt hujus mirifici & incredibilis amoris erga Regem exempla, quibus recensendis nec lingua, nec dies sufficeret. Unum tamen in tanta copia maxime illustre silentio praetervehi non potest. Anno octuagesimo quarto hujus seculi, Regis cujusdam orator, quem nominare non est necesse, Hagae Comitis indignum facinus machinatus est, & in ejus societatem sollicitaverat nonnullos ex comitatu Principis Arausionensis. quod cum emanasset gravius stomachum Principi alioquin tam leni, ut quibusdam lentus esse videretur, movit, quam ut posset dissimulare. A Rege, cum fama justissimae indignationis ad eum, ut est credibile, pervenisset, revocabatur Haga legatus. Cum reditum radonaret, sibi discedendum ante non putavit, norat enim Regum & Principum

manus esse longas, quam Guilielmum sibi mitigasset. Mitissimus Princeps, legato & per interpretes, quos allegaverat, & per se ipse sane quam demisse, & infimis obtestationibus satisfacienti criminis gratiam magno animo fecit. Quam tamen a Maria nullis allegationibus, nullis, quascunque offerret, satisfactionis expiationibus impetrare poterat. Miranti cur tam implacabilem se praeberet Maria, cum nihil contra Illam in se admisisset, nec ullo Eam verbo factove laesisset, cum Guilielmus merito sibi infensus delicti veniam petenti ignovisset, jussit per internuncios Illa referri, non difficilem & inexorabilem se futuram, si in se peccasset, injuriae in maritum intentatae se oblivisci non posse, nec illi tam facile placari, qui tam graviter offendisset Guilielmum. Quis hanc conjugalem fidem, hunc inusitatum Reginae amorem maritalem satis praedicare potest? Ego sane ne perinde quidem ut debeo illum possum admirari. Non minus amabat Rex Reginam, quam ab illa amabatur.

Non

Non tantum nunquam ſecum in gratiam redierunt, ſed tanta quoque ex hoc amore mutuo extitit animorum & conſiliorum conſenſio a primo auſpicatiſſimi connubii die, ut idem vellent, idem nollent, eademque eſſet de rebus omnibus, privatis, publicis ſententiarum conſpiratio, ut, licet corpora longis terrarum intervallis dividerentur, animi tamen & voluntates eſſent conſociatiſſimae, & incredibili quadam ratione conſentirent in rebus maxime arduis & dubii eventus, in quibus explicandis haererent acutiſſimi & rerum uſu inprimis exercitati homines tanquam in ſalebris inextricabilibus, ut non modo viderentur eodem, quod ajunt, ſidere nati, ſed in duobus corporibus una diverſari & habitare anima. Ne quid me fingere putetis, en Vobis, quod ſupra fidem eſt, ſtupendae animorum convenientiae ſpecimen. Anno abhinc tertio, cum tantum quod Rex appuliſſet in Batavia, Illi hic, Reginae in Britannia curanti non incertis auctoribus, nec uno ex loco ſigni-

ficabatur, Gallos ornasse classem, quam cum valida pedestri manu transmissuri essent brevi in Britanniam, exscensuque facto late terrorem circumlaturi, enixeque omnibus viribus nisuri, ut Jacobo, quod ipse abjecerat, redderetur diadema. Rex ancipiti periculo circumventus suspenso & sollicito animo dubitabat, recurreretne in Regnum, an in Belgio subsisteret ad refraenandam ferociam & discutienda hostium consilia. Illud suadebant plurimi, qui in Britannia Regi erant a consiliis secretioribus, nec pauci purpuratorum, qui hic circa Regem erant, idem sentiebant. In hoc aestu curarum post anxiam deliberationem tandem Rex decrevit, in Britanniam liburnicas, quae se huc deportassent, remittendas esse, bellicas autem naves, quae hic Ei essent praesidio, sic in statione collocandas, ut si res exigeret, celerrime posset ipse trajicere. In Britanniam vero mittit, juberent quadraginta rostratas ex classe cursum cum Praetore dirigere in oras Gallicas, hoc consilio, ut, si res facul-
tatem

tatem esset habitura, hostiles naves, quibus copias & instrumentum bellicum cum commeatu vellent imponere, incenderent. Antequam liburnicae, & qui ad mandata Regis perferrenda missus erat, Britanniam attigisset; litterae perferuntur Reginae huc ad Regem, nunciantes, se imperasse, ut sine mora quadraginta navium longarum classis deduceretur, & vela facert in Galliam ad perdendas naves hostiles, quas infestaturas esse Britanniam rumor erat. Qui symphoniacorum modulatissimus concentus major esse potest, quam hic sententiarum & consiliorum Regis & Reginae, cum neuter de alterius mente quicquam haberet compertum, ac per locorum intercapedinem habere poterat, ut Guilielmum & Mariam non fortuna, sed morum similitudo & animorum consensus conjugasse videatur. Consentiebant de ipsa re, de iis, quae rem circumstant, de numero navium mittendarum, de Praetore, cui cura classis erat mandanda. Hic est ille verus amor, qui ita conglutinat animos, ut

ut nihil poſſit eſſe copulatius, ut nulla temporum, nulla locorum longinquitate queat divelli, quique tantam conflet ſententiarum concordiam, ut diſſociari nulla vi poſſit: quam qui in Rege & Regina non videt, viſamque non ſuſpicit & admiratur, is coecus eſt, & quid ſit admirandum ignorat. Maximum itaque Regi in Optimae Reginae amore praeſidium fuit in omni fortunae temporumque varietate. Rex, antequam animum applicuerat ad matrimonium, ad eximium Caroli Secundi oratorem ad Ordines foederatae Belgicae miſſum, cum de uxoribus ducendis ſermones aliquando ſererentur, dixit, ſibi in conditione quaerenda curarum omnium primam futuram eſſe, optimam inveniendi. Hujus voti ſe compotem fecit ipſe. Non meliorem uxorem, ſi ſoli, quod ajunt, quaerenda data fuiſſet, potuiſſet reperire.

Sicut autem Regi in amore Reginae, ſic in Ejus beneficentiſſima natura quantum praeſidii fuit non modo civibus, ſed quibuſcunque commodare

po-

poterat, & benigne facere. Diem ſibi periiſſe putabat, in quo non aliquod beneficium tribuiſſe compluribus meminerat. Nulla re ſuam felicitatem in iſta indulgentia fortunae magis metiebatur, quam ſi quos poſſet felices reddere. Non tamen profundebat, & tanquam miſſilia ſpargebat promiſcue ſine judicio, ſine diligentia beneficia: ſed dabat eleganter, dabat conſiderate, dabat idoneis. Majorem capiebat voluptatem, ſi quod beneficium collocaſſet, quam ſi omnes homines omni beneficiorum genere ſe cumulaſſent, magiſque gaudebat, cum quem aliquo munere affeciſſet, quam ille, qui afficiebatur. Beneficiorum, quae ab ullo unquam acceperat, nunquam obliviſcebatur, aſſiduo illa recolens, nunquam ex animo illa patiebatur elabi; quae tribuebat aliis, vix recordabatur, tanquam memoriam perdidiſſet. Effuſae liberalitati piiſſimae Reginae in calamitoſos utinam paria poſſem invenire verba, & tali voce, tali proſequi oratione, ut ubique locorum audiatur! In

ſe reſtricta erat, in miſeros & egentes prolixa, quae id ſe putabat habere, quod iſti a ſe habuiſſent. Quando non ſunt experti hujus munificae & liberaliſſimae manus largitatem cum multi alii in Britannia, Germania, Belgio, Pedemontio, tum in primis extorres Galli, qui maluerunt omnium fortunarum jacturam facere, quam, quod omnibus fortunis eis erat carius, ſalutis animae? A primis annis hujus benevolentiae in genus humanum ſplendor in Maria fulſit. Princeps Arauſionenſis, non longe poſtquam in manus Ejus Maria convenerat, certam conſtituerat pecuniam Ei numerandam in uſum, in impendium neceſſarium mundi & inſtrumenti muliebris. Quid Diva Princeps in illa aetate tenera? Non ſtrangulabat in arca hoc argentum, quae ab omnibus ſordibus erat alieniſſima, non effundebat in ſumtuoſiſſimos paratus, in gemmas, margaritas, aliaſque lautitias, in quibus mulieres, quae longiſſime abſunt ab hoc faſtigio, ſic inſaniunt, ut hoc furore jacturarum cenſus virorum

mer-

mergant: ſed modico pro fortunae amplitudine ſumtu in veſtitum, & alia, quae poſcebat tantae Principis dignitas, facto, diligentiam, frugalitatem, parcimoniam, ignotas aulis virtutes in aulam invehebat. Hoc magnum vectigal omne conſumebat in levandis hominum honeſtorum & nobilium anguſtiis, qui non ſua culpa magnis incommodis conflictabantur, ſed fortunae communiumque temporum injuria eo redacti erant, ut non haberent unde uterentur, ſuumque tuerentur ſtatum. O Reginam omni praedicatione majorem! Quis enim tam liberalis ac benefici animi praeſtantiam ſatis digne praedicare queat? Num quae mediocris conditionis mulier eſt, quae pecuniae in ornatum datae velit ſubducere, quod in egenos eroget, cum pleriſque quod datur non ſuppeditet ſumtibus, quos nimios faciunt in exornando corpore? At Reginam cum aliis feminis comparare, injuriam eſt facere divinis ejus virtutibus, quibus ſummorum virorum laudes aut aequavit aut ſuperavit. Nul-

lum ex hac liberalitate fructum alium aut
capiebat aut petebat, quam conſcien-
tiam recte factorum. Non jactabat ſua
beneficia, non imputabat. Mittebat
ſua congiaria ſaepius per ignotos homi-
nes, quibus non licebat prodere mu-
neris auctorem, ne pudorem oneraret
accipientium. Tantum abeſt ut inire
gratiam ab iis, quibus liberalem ſe
praebebat, vellet, ut ſpem quoque
gratias agendi illis praecideret, cum
plerique omnes inſperatae & nec opi-
natae liberalitatis datorem ignorarent.
Arceſilaus valde laudatur, qui amici
pauperis, ſed paupertatem diſſimulan-
tis pulvinari ſubjeciſſet ſacculum ple-
num auri, ut clam ſuccurreret inutili-
ter verecundi egeſtati. Quibus laudi-
bus tollenda eſt Maria, quae non ami-
co, ſed exteris & peregrinis, quos non
viderat, quorum tantum audiverat
mala, praeter omnem eorum ſpem &
opinionem aderat. Nec ſemel iterum-
que hos liberalitatis fontes recluſit, ſed
conſtanter, quotannis, quam diu ſu-
perſtes fuit, ut non impetu, nec mor-

bo,

bo, sed ratione & consilio existimetur dedisse. Ex Britannia misit certos homines, qui hoc liberalitatis tributum, ut ita dicam, dependerent, illisque mandavit ut de istorum, quibus esse subsidio decrerat, rebus ad se referrent bona fide, ut liberalitatem augeret, si ad egestatis molestias levandas forte non sufficeret quod miserat satis grave pondus auri. Gallos vero profugos, spoliatos omnibus fortunae praesidiis, quae corripuerant harpyae domesticae, quanta foverit benignitate ipsi & hic, & in Britannia testes sunt. Obierat Illustrissima Vidua, quae Principi in Germania nupta fuerat. Illi annua pensio debebatur & solvebatur ex aerario communi Ordinum. Haec pecunia ut converteretur in usum & tutelam Gallorum, in primis matronarum nobilium, quae religionis caussa solum verterant, nec artem ullam poterant facere, qua in sumtum quaererent, domi molliter educatae, & amplis opibus innutritae, soli Reginae debent acceptum referre, cujus studium bene de miseris merendi

nunquam fatiſcebat. Ad Allobroges & gentes Alpinas noſtrorum ſacrorum & ſymbolorum, longis erroribus, inedia & miſeria exhauſtas, cum rediiſſent in patriam, ad ſuſtentandos quatuordecim praecones verbi divini, & totidem anagnoſtas, nec non tot egentiſſimos homines aliquoties grandem pecuniae ſummam juſſit perferri. Nec parcior fuit benigniſſima Regina in claſſiarios, qui ex depreſſis navibus, quas hoſtes incendiſſe ſuperius audiviſtis. Enatarant omnibus nudati & ſpoliati, plerique vulneribus etiam confecti. Quotquot Londinum venerant, venerant autem non pauci, Reginae mandatu veſtimenta praebita, & ad vitam tolerandam pecunia. Providit etiam ut in littoribus Canti, ſaucii exciperentur, foverentur, curarentur, & haberentur benigniſſime. Caeſorum uxoribus & liberis miſit liberaliter in has terras argentum, quo jactura facta reſarciretur, & leniretur dolor. Denique in omnibus Britanniae & Bataviae partibus liberalitatis ſuae innumera impreſſit veſtigia. Cle-

Clementiae non minus specimen erat unicum Regina, quam liberalitatis. Malebat oblivisci injuriarum, quam illas ulcisci. Meminerat enim hoc etiam vilissimae plebis esse, illud vero eorum, qui magno & celso ceteros mortales supereminent animo. Nec laude justitiae ullo fuit inferior Areopagita. Nihil dabat gratiae, nihil odio. Nemo vel poenam vel multam pependit, in quem non mitius animadversum sit; quam ipse cogitarat, aut sperare poterat, si legibus fuisset actum.

Honor nemini fuit habitus, quin praemium longe superaret merita. Qua fuerit innocentia & continentia in tantis opibus, Vos ipsi non potestis ignorare, qui nostis, quam pia fuerit; nec de castitate quod addam habeo, qui audiveritis, quam fuerit amans Regis. Ne vocem quidem sustinere poterat liberiorem, aut quae Fescenninam licentiam redoleret; foeminae, quam violasse pudorem aut fama erat, aut suspicio, ne conspectum ferebat. Gynecaeum Ejus erat sacrarium quoddam pudici-

tiae, integritatis & sanctimoniae. Civilitatem in regia natae & educatae Mariae omnes mirati sunt, in primis Batavi, cum primum in Bataviam venisset. Antequam illam experti essent, multi metuebant regnatricem domum, & fastum aularum, in quibus civilitatis nomen aut inauditum est, aut invisum. In cultu, in victu, in instrumento Principali, in communione sermonis, in officiorum mutuo commercio vix quicquam excedebat civilem modum. Quam faciles ad Eam aditus omnibus horis, quas vacuas habebat a cultu divino, aut regni administratione, omnibus hominibus patebant. Nam licet horas illas feriatas consumeret in lectione librorum, qui aut res gestas omnis memoriae, aut qui situm orbis terrarum descripserant, unde vix quisquam sic novit suam domum & agellos, quam Regina norat terrarum, insularum, regnorum, urbium, fluviorum, montium, qui ubique erant, positum ac ingenium, ut & cultorum mores, sacra, leges & instituta, ut & in

in hoc doctrinae politissimae genere nihil elegantius esset Maria & politius: nulla tamen tanta erat voluptas, quam ex lectione hac capiebat, quae Illam ab ullius abstraxerit tempore. Quo unquam non dicam regulo, aut dynasta, sed consule ulla civitas ac populus est usus commodiore & communiore, quam hac Principe Batavi & Britanni. Comitas & sermonis suavitas, qua virtutes omnes condiebat, fidem superat. Ut majestate cunctos anteibat, sic humanitate neminem se patiebatur anteire. Non possum, quin unum ex magno numero Vobis commemorem rarae comitatis & bonitatis exemplum, Vir nobilissimus potentissimi Principis legatus, cum Hagae Comitis Mariae praestitisset officium, excedens ex cubiculo, ne tergum obverteret Principi, ibat cessim venerabundus semel iterumque. Forte quadam accidit, ut cum secunda vice Principem veneraretur in recedendo, lychnucho in laqueari suspenso, quem aut non viderat, aut de quo tum non cogitabat, galericulus ejus non sentien-

tis implicatus obhaereret, ut caput totum nudaretur, vultus vero rubore ſuffunderetur, praeſertim cum difficulter ſutile capillamentum expediretur, matronae & nobiles puellae, quae in hoc officio ſalutationis apparebant Principi, effundebantur in cachinnos, ſola Princeps ne ſubridebat quidem, ſed eadem fronte haec adſpiciebat, qua legati audiverat orationem. Una matronarum primi loci, maxime gratioſa, poſt oratoris exceſſionem admirata Principis in ridiculo hoc caſu ſeveritatem, ſuſtinuit quaerere, qui potuerit riſum tenere, reſpondit Princeps: Injuriam feciſſem legato, ſi, qui joculari hoc malo, in quod incidit non ſua culpa, ſatis confuſus eſt, riſu intempeſtivo cumulaſſem ejus pudorem & conturbationem, quod nefas ego duco & contra officium. Hoc dicto, ne alia tangam, animum ſuum bonitatis & humanitatis pleniſſimum magis nudavit, quam illa lucerna penſilis capitis legati calvitiem. Hac ſerenitate frontis, & oris ſuavitate ſic permovebantur omnes, qui ad Regi-

nam

nam admittebantur, ut non Reginam, sed beneficam quandam & propitiam hominibus Deam, se vidisse putarent. Divinae huic bonitati adjuncta erat singularis gravitas, & principatum ac libertatem miro quodam modo miscebat. Tanto autem virtutum choro quam splendidum diversorium metata erat natura. Qui formosissimi oris honor, quae frontis serenitas, qui oculorum fulgor & hilaritas, quae totius corporis majestas! Nemo Eam intueri poterat, quin hac dignitate percelleretur. Hinc non mirum tanta corporis animique ornamenta in omnium animis tantam admirationem & amorem excitasse, ut tanquam Diva quaedam coelo demissa ad illustrandum hoc saeculum, & ad procurandam salutem tot gentium amaretur & coleretur, & tantum sui desiderium reliquerit apud omnes. Sicut autem in omni vita sibi semper fuit similis, sic & in morte non a se defecit. Sanctissimo totius vitae proposito mortis piissime & constantissime obitae ratio plane respondit. Ut adversus cetera, sic ad-

 ver-

versus omnium terribilium terribilissimum mortem animus ejus fuit invictus. Nec morbi atrocitas, nec in tam viridi aetate, in tot vitae blandimentis, mors imminens tantum in Reginam potuerunt, ut ullum tristioris animi signum ederet, sed e contrario imperterrite ex hac vitae statione, cum audiret & sentiret se avocari, decedentis indicia fuerint plurima & illustrissima. Cum summe reverendus Archiepiscopus Cantuariensis, paucis antequam exspiraret diebus arcessitus, Ei significaret indubitatam mortem impendere, vasa esse colligenda ad iter, quod serius ocyus omnibus sit faciendum, placide sine ullo aegri animi, quamvis corpus vi morbi debilitatum esset aegerrimum, argumento respondit, non hoc primum die se coepisse comparare se ad mortem, per omnem vitam se Deum coluisse. O vere dignam tanta Regina, dignam omnium seculorum memoria vocem! Imbiberat, non dum demum nos mori cum finimur. Nascentes morimur; Quotidie aliquid de vita nostra non sen-

ſentientibus carpitur, ac paulatim omnis conficitur. Nec ſe piiſſimam Reginam, nec Antiſtitem feſelliſſe indicio eſt commemorandum dictum, quod effata eſt ſexennio ante fatalem ſibi diem, cum adſideret Viri Generoſiſſimi Uxori, quam in primis amabat, & magni faciebat, extremos ducenti ſpiritus, ut illam confirmaret ac ſolaretur. Petebant qui aderant, ut vultum averteret ab animam agente & jam jam exſpiratura. Noluit Regina, praefata rariſſime accidere, ut ſui loci & ordinis hominibus detur tale videre ſpectaculum, quod nunc divini Numinis conſilio ſibi offeratur, ut inde proficeret ad vana vitae noſtrae rectius intelligenda. Quantum profecerit, noviſſimi dies, quos egit, docuerunt. Poſt piiſſime coeleſti pane corporis & ſanguinis Chriſti magno cum dolorum, quos Soſpitator pro nobis tulit, ſenſu anima eſt paſta. His ſacris epulis refecta abjecit omnium rerum terreſtrium curam, ut nihil aliud cogitaret, quam ut ſoluta hac corporis cuſtodia frueretur Deo,

quem in terris amaverat tam ardenter, & coluerat tam caste. Valere dixit Regi his verbis, quae a me Latine efferuntur. Non enim quae dicere potuit, sed quae dixit, auditis. Jam linquo terram. Spero Rex te nunquam dubitasse de mea fide & amore. Moderare dolori. Opto ut quo gaudio ego decedo, tanta tu facilitate moerori modum ponas. Non longe pest caelestem ex halavit animam Divina Maria in manibus & complexibus Regis, qui nunquam secessit, ac ex Ejus cubiculo pedem extulit die nocteque, quam diu gravissimis tribus morbis, variolis, ut vocant, erisypelate, & febri pestilente, quorum singuli hominem facile possunt jugulare, infestata jacuit. Quo Rex fuerit dolore confectus praestat silere, quam operam & verba perdere. Nulla enim inveniri possunt quae magnitudinem istius moeroris ulla ex parte possint assequi. Semper fuit Regi fortissimo animi tanta firmitas, tantumque robur, ut quibuscunque iratae fortunae telis impugnaretur, nunquam moveretur, nunquam cede-

ret,

ret , ſed omnia celſo exciperet animo. Nemo unquam , quaecunque eſſet ſaevientis fortunae veſania , in Rege ullum triſtioris animi ſignum deprehendit. Huic dolori reſiſtere non potuit vi amoris ac deſiderii victus , cum amiſiſſet omnis fortunae , omnium conſiliorum , curarum , laborum , cogitationum omnium ſociam certiſſimam ac fidiſſimam , quae tam longe muliebris generis praeſtantiam omnem ſupergreſſa eſt , ut vix ullius mulieris virtus ullis ſeculis eam unquam conſecutura eſſe videatur. Fortaſſis ideo Superi noluerunt ex Ea ſobolem provenire , ne ſe & marito deteriorem ederet,quia ulterius progrediendi locus non erat. Quis igitur miretur , invictam illam conſtantiam , & impavidum ac tranquillum in omnibus hujus vitae tempeſtatibus atrociſſimus animum Guilielmi , hoc fulmine fuiſſe tantopere commotum & concuſſum , ut aegre potuerit ad aequitatem extolli. Caret enim una omnium Optima & Sapientiſſima Regina , cum Illa maxime frui potuiſſet,& infinitas capere utilitates exEjus

Q 2 fide ,

fide, prudentia, & opera, quam navabat in ſumma re domi pulcherrime adminiſtranda, cum Ipſe foris res ageret maximas praeclariſſime. Nemo tam ferreus eſt, ut poſſit ſine amariſſimo dolore pati, ſi dimidium animae tam violento ictu ei reciditur. Nulli tamen dubitamus, quin, qua eſt incredibili ſapientia, Rex animum brevi, quamvis dolor nunquam poſſit exhauriri, recollegerit, illumque a moeroris acerbitate avocarit ad conſummandum, quod feliciter profligatum eſt, opus illud, quod orbis terrarum oculos in ſe convertit, quippe a quo illius fata pendent, ut Ejus virtute & conſilio otium, tranquillitas & ſecuritas Europae reddatur, & ſic fundetur, ut non arma ſolum deponantur, ſed cum armis omnis armorum metus. Propterea ſicut Reginae morte, tanquam domeſtico vulnere accepto incredibiliter doluerunt omnes, ſic pro Regis ſalute & incolumitate nunc vota nuncupant omnes, quibuſcunque ſalus & libertas Europae curae eſt & cordi. Fuit Maria. Fuit flos Reginarum,

rum, seculi decus, amor populorum, orbis terrarum deliciae, pauperum horreum, miserorum ara. Nihil Tu amisisti Optima Maxima Regina, quae vitae tam sancte, caste, & sapienter exactae fructum nunc capis sempiternam beatitudinem, malis omnibus, quibus miseri in his perditorum temporum procellis & fluctibus jactamur, defuncta. Rex amisit levamentum curarum, populi ornamentum rebus secundis, subsidium adversis, boni omnes partiumque bonarum studiosi praesidium unicum. Excessisti quidem ex hac vita, sanctissima Regina, in ipso aetatis robore, sed quam Tibi de hujus brevis vitae usura mors acerba detraxit, tantum adjicient homines ad Tui nominis gloriam, celebritatem, memoriamque sempiternam. Non haec vita Tua dicenda, quam in his corporis vinculis vixisti, sed illa Tua vita est, quam vives immortalem in omnium populorum animis, qui tuarum virtutum admiratione & amore semper flagrabunt. Non est, quod Tu doleas, nullos liberos ex Te Regem tulisse,

quod unum visum multis est Tuae, cum hic in terris ageres, defuisse felicitati, idque tenebrio quidam maledicentissimus tanquam crimen quoddam nuperius exagitavit. Regi sane & nobis id summo dolori est. Verum ut olim Epaminondas, cum ei exprobraretur orbitas, jactabat, se relinquere filiam ex se procreatam, pugnam Leuctricam, quae non solum post sibi superstes, sed & immortalis sit futura. Tu Beatissima Maria, Mater tot regnorum & populorum, Mater calamitosorum, Mater egentium, relinques tot filias nunquam intermorituras, laudes & gloriam sempiternam bonitatis, beneficentiae, liberalitatis, clementiae, mansuetudinis, ceterarumque pulcherrimarum virtutum, quae victurae sunt cum compages Tui corporis dilapsa fuerit in pulverem, unde concreta est in mentibus hominum. Haec vita in omnem seculorum memoriam Te consecrabit. Non abscondet Te marmoreum Mausoleum, non aurea urna. Tuus tumulus erunt nostra pectora.

D I X I.

EPICEDIUM
IN OBITUM
MARIAE
Magnae & Incomparabilis
Angliae, Franciae, Scotiae, & Hiberniae
REGINAE
QUAM
FUNEBRI ORATIONE LAUDAVIT
VIR CLARISSIMUS
JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS
III. Non. Mart. MDCXCV.



Rgone Quae fueras verae pietatis Imago
Tam celeri occumbis praecipitata gradu?
Tantane Te poterant incessere taedia nostri
Coeli tanta sitis cum satianda foret?
Durum si mortis telum mitescere fletu
Posset, & infamem sistere Parca colum,
Non hic lugubri ploraret Praefica planctu,
Nec fluerent madidis lumina nostra genis.
Publica dicendi causa est, & publica flendi,
Nec Tua sunt fletu busta riganda meo.
Non sibi, sed vasto Regni Decus occidit orbi,
Quilibet in Tanto Funere funus habet.
Misceat innumeros mecum Battavia *luctus,*
Misceat & lacrymas Anglia *moesta suas.*
Si gemitus unquam tristis mors jussit acerbos,
Si tremulos, fletus haec violenta jubet.
O funeste dies! quo MAGNA STUARTA peremta,
Consors Imperii, REX GUILIELME, Tui.
Relligio, Pietas, Probitas, Clementia, vera
Gloria terrarum, non reditura, jacet.
Haec Reginarum meruit Regina vocari,
Non aliam centum secla tulere parem.
Hujus si Graevi *sermo sit honoribus impar,*
Quis posset Latio dignius ore loqui?

ALBERTUS DE GREVE, P.F.

AD

Virum Clarissimum

JOANNEM GEORGIUM GRAEVIUM

Doctorem optime de se meritum

CUM

Augustissimae Magnae Britanniae Reginae

MARIAE STUARTAE

Publice parentaret.



Um ferrugineis induta Britannia pallis
  Justa facit Dominae non repetenda suae:
Dum Tamesis querulos mittit trans aequora planctus,
  Aggemit & moestis terra Batava sonis:
Ultrajectinae lugent immane Camoenae,
  Itque comes magnis Graevius exequiis.
Hei mihi! quos gemitus, quantas urbs tota querelas
  Illius ad lessum fundere visa fuit!
Flebat; ut exstinctam crudeli funere matrem
  Plorat ad incensos sordida gnata rogos.
Quocumque aspicias, subit una doloris imago;
  Templa, viae lacrymas & domus omnis habent.
Nec tua, Doctorum Graevi laus summa virorum,
  Successu poterant verba carere suo.
Te nihil est Batavis doctrina majus in oris,
  Nec minus ipsa Hellas, quam tibi Roma patet.
Fallar an in mediis populum tibi fletibus omnem
  Audierim plausus ingeminare suos.
Non Illo quisquam narrandis laudibus, inquit,
  Accessit propior, Diva MARIA, tuis.
Serior O Batavis, Trajectinoque lyceo
  Sol lucis radios praebeat ille suae!

GODOFREDUS CLERMONT
S.S. Theol. Stud.